



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 52. Quid in hoc puncto dicendum de Clerico mutilato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

Partim *parte 2.* ubi de provisione & obtentione beneficiorum. Et quidem de potestate Papæ in collatione beneficiorum & reservatione Apostolica in genere. *aq. 512. ad q. 539.* De reservatione inducta per Regulas Cancellariae. *a n. 539. ad q. 565.* De alternativa concessâ Episcopis per regulam octav. *à q. 566. ad q. 589.* De Concordatis Germania. *à q. 590. ad q. 502.* De precibus primariis. *à q. 602. ad q. 627.* De potestate conferendi aliorum inferiorum, puta, Cardinalium, Legatorum Apostolicorum, Episcoporum, Capituli, Vicarii, Archidiaconi, Universitatum, Regum aliorumque laicorum, collatorum, ad quos devoluta collatio. *à q. 639. ad q. 759.* De personis, quibus conferenda beneficia. *à q. 759. ad q. 767.* De ipso actu collationis. *à q. 768. ad q. 795.* De possessione beneficiorum. *à q. 798. ad q. 864.* Quæ hic tractari solent ab aliquibus de exspectativis, de pluralitate & incompatibilitate beneficiorum. De eorum vacatione, dismembratione, unione &c. Vide tractata sub sequentibus titulis hujus *Libri 3.*

## TITULUS VI.

### De Clerico ægrotante vel debilitato.

*Quæst. 51. An Clericus propter ægrotinam amittat beneficium aut frustus illius?*

**R**esp. Clericus infirmitate impeditus, quod minus Ecclesiæ deservire, & officium suum præstare possit, non tantum non amittit beneficium, sed etiam pro residente & deserviente habetur, ita ut fructus beneficii sui & omnia, quæ sanus ab Ecclesia percipere poterat, ei integrè præberi debeant, ac si sanus Ecclesia deserviret; ne alioquin alii ejus exemplo deterrentur, ac proinde non repariantur ministri idonei, qui Ecclesiæ deservire velint, pro tunc & statuit c. 1. b. t. Quin etiam quotidianas distributiones percipere debet, ut constat ex c. unic. de cler. non resid. n. 6. His non obstante, quod juxta probabilitatem, quam tenet Covar. loc. paulo post cit. Castrop. p. 2. de relig. d. 3. p. 9. §. 1. num. 34. Barbos. in c. 1. b. t. num. 5. citatis plurib. Azor. p. 3. l. 8. c. 54. q. 3. Pith. de cler. non resid. num. 86. famulo pro tempore infirmitatis non debeatur salarium. Nam Ecclesia agit mitius cum suis ministris, eosque non ut famulos tractat. Covar. Castrop. Pith. LL. cit.

2. Extendunt hæc primò ad eos etiam, qui propriâ culpâ inciderunt in morbum. Covar. l. 3. var. c. 3. num. 8. Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 10. Cenedo. qq. can. l. 1. q. 1. num. 7. Monet. de quotid. distrib. p. 2. q. 6. n. 11. Barbos. in c. 1. b. t. n. 3. Et sic percipere adhuc possunt distributiones, qui intemperanter vivendo sibi infirmitatis, & quod minus interesse potuerunt divinis, causa fuerant; cum cit. c. unic. statuitur, distributiones percipi posse ab omnibus, qui à divinis absunt ex causa infirmitatis, nulla distinctione facta inter causas infirmitatis; ea etiam ratione, quod ex intemperantia illa secula sit per accidens & præter intentionem clerici, qui intemperantiam illam satisluit decumbendo, ita Wiestn. b. t. n. 7. citato Covar. l. 3. var. c. 13. n. 8. Cur verò ob culpam suam conjectus in carcerem, vel pulsus in exilium interesse non potest divinis perdere, potius distributiones, quam qui ex culpa sua incidit in infirmitatem, causam dat Pith. l. c. n. 88. quod culpa ordinariè non sit causa moralis, sed potius physica infirmitatis; cum hæc non sit pena illius culpa, sed sequatur ex ea veluti effectus naturalis, adeoque nec causa moralis absentia à choro, & hæc soli infirmitati adscribenda. Crimen

verò, ob quod quis conjicitur in carcerem est causa moralis istius penæ, scilicet incarcerationis, adeoque etiam crimen ensetur causa moralis absentia à choro; & sic reus ob delictum merito privat distributionibus. Extenditur secundò non solum ad eos, qui vero constanteque modo laborant, sed etiam ad eos, qui consilio Medici medicinam sumunt v. g. utuntur balneis, minuantur sanguine, aliò se conferunt sanitatis causâ, vel à civitate abesse coguntur, utpote suspecti de morbo aliqua contagioso. Monet. l. c. n. 7. Barbos. l. c. Pith. l. c. n. 86.

3. Limitatur e contra, ita ut clericus, etiam dum sanus erat, non solebat residere aut interessere divinis, & hinc distributiones non recipere, eas etiam postmodum, superveniente infirmitate, recipere non debeat; cum tunc potius causa absentia & omissionis divini officii censeatur continuata negligentia, quam superveniens infirmitas. ita tenent. Monet. l. c. n. 11. Castrop. l. c. Cov. l. c. Azor. l. c. q. 11. Guttier. qq. can. l. 1. c. 1. n. 138. Barbos. l. c. n. 2. & de poteſt. Ep. p. 3. alleg. 53. n. 166. Wiestn. b. t. n. 4. Pith. l. c. quamvis isex Castrop. n. 5. dicat, contrarium esse quoque probabile.

*Quæst. 52. Quid hoc in punto dicendum de Clerico mutilato?*

**R**esp. Neque clericus beneficiatus mutilatus, & per hoc etiam insigniter deformatus, ita ut pariat scandalum aliquod & horrem aspicientibus, non amittit ex hoc ipso beneficium, nec arcetur à fructibus percipiendis. Pith. b. t. n. 3. Arg. c. 2. b. t. ubi sermo de Presbytero, qui à Prædone mutilatus duobus digitis & medierate palmae, cum etiam tali juxta Garc. de benef. p. 7. c. 12. n. 29. Lef. de fust. l. 2. c. 34. n. 121. Suar. de cens. d. 51. n. 18. & alios, quos citat & sequitur Barbos. ad c. 2. b. t. n. 2. & de poteſt. Ep. c. alleg. 42. n. 55. hoc modo sine sua culpa mutilato conferri possit beneficium, non requirens celebrationem Missæ. Sed neque vitium seu defectus corporis absque propria culpa proveniens, per quod impeditur congruum exercitium ordinis propter importunitatem seu debilitatem, vel notabilem deformitatem, et si quod ad ordines suscipiendos irregularitatem inducat, post susceplos tamen ordines non reddit simpliciter seu ex toto irregulararem seu inhabilem ad ordines; sed solum ad illum actum seu officium ordinis exercendum, quod ob dictam debilitatem sine periculo

periculo & irreverentia, vel ob deformitatem sine scandalo obire nequit. Abb. *in cit. c. 2. num. 4.* Garc. *loc. cit. num. 18.* Reginald. *in pr. for. penit. l. 30. num. 46. & 48.* ubi, quod arceatur quidem talis ab executione illius actus, in quo usus illius membris, quo mutilatus, requiritur, reliquos tamen exequi possit. Barbos. *l.c. & alii apud illum.*

*Quæst. 53. Quid dicendum de laborante lepra aliove simili morbo incurabili?*

R Esp. Rectorem Ecclesiæ seu parochum incidentem in lepram aliumve morbum similem incurabilem (puta, ut Parisi. *deref. l. 5. quest. 6. à num. 19. & num. 28.* apud Barbos. *in c. 4. b. t. n. 2.* Morbum Gallicum aliudve Scabiei genus & ulcera per totum corpus diffusa cum extrinseca deformitate) ita ut alteri servire, aut etiam ecclesiam ingredi nequeat, removendum ab officio & beneficio ejusque administratione, congrua ei ex redditibus beneficii parte assignata, aliumve ei substituendum & intitulandum, qui proinde non sit Coadjutor, sed Rector principalis & totalis saltem ubi morbus talis est, ut sine gravi scandalo & horrore in communi hominum Societate vivere non possit. Adeoque talem privandum sine sua culpa, sed non sine causa, nimur ob bonum publicum. Arg. *c. tua nos. b. t.* affirmat Gloss. *in cit. c. v. administrationis.* Innoc. *ibid.* & Gloss. margin. *lit. A. in c. de Rectoribus. b. t.* & in hanc sententiam inclinat Pirkh. *b. t. num. 7.* Oppositum tamen (quod non minus probabile affirmat Pirkh.) nimur talem, aut etiam alium beneficiatum propter infirmitatem perpetuum posse removeri aut privari jure & titulo beneficij, nisi consentiat aut resignet (uti id eum posse coram Ordinario, non tamen ad hoc invitum cogendum esse Rectorem leporum, asserit Campanil. *in divers. jur. rub. rub. 11. c. 17. n. 160.*) sed solum removeri posse ab officio & beneficio quo ad actuale exercitum ita ut licet ab animarum cura personaliter exercenda removeantur, beneficium tamen, & in eo fundatum officium seu curam habitualem retineant & sic intelligendum *cit. c. tua nos.* tenent Fagn. *in c. de Rectoribus. b. t. num. 7.* Suar. *Tom. 5. de cens. d. 51. s. 2. num. 18.* Garc. *de benef. p. 4. c. 5. num. 6.* Campanil. *loc. cit.* Lancellot. *inst. Can. l. 1. tit. de coadjut. s. 1. n. ult.* & alii, quos citat & sequitur Barbos. *in cit. c. tua nos. num. 4.* item Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 9. s. 1. num. 18.* Neque his obstat videtur, quod *cit. c.* dicatur, necessaria vitæ subsidia Rectori Parochialis Ecclesiæ lepra percutto, & hinc ab administrationis officio remoto, juxta ecclesiæ facultates sint ministranda. Quia sensus est, eum ex parochialis ecclesia suæ seu beneficii

reditibus sicut ante alendum; non verò, quod alendum sit facultatibus ecclesiæ distinctis à redditibus beneficij. Neque *c. 1. de stat. & qualit. promovend.* ubi dicitur de Abbatibus, Decanis & Praepositis, qui Presbyteri non sunt, & de Archidiaconis, qui Diaconi non sunt, si justâ aliquâ prohibente, Presbyteri aut Diaconi esse non potuerint, prælationes amittant &c. Quia ibi sermo est de Abbatibus &c. Qui dignitates suas nondum cœperunt administrare; imò non plenè & omnino absolute, sed sub tacita conditione suscipiendo intra annum Ordinis sunt afferenti; ut si propter perpetuum aut valde diu duraturum impedimentum hunc suscipere non possunt, adeoque deficiat conditio, sub qua dignitates ipsis collatae sunt, eas amittant. Dum è contra, qui beneficia & dignitates plenè consecuti, & administrare cœperunt, superveniente tali impedimento, non sunt ab iis removendi, sed assignato coadjutore adjuvandi. Wielstner. *b. t. num. 10.* cum Laym. *in cit. c. 1. § fin. ver.* sed non placet. Ideoque licet idipsum dici posse videatur de electo in Episcopum, quod is superveniente tali impedimento, amittat jus ad Episcopatum, ita ut confirmari nequeat; idipsum tamen dici nequit de Episcopo electo & confirmato, quod is à dignitate episcopali removendus, seu eam amittat, dum ei necundum consecratio sine sua culpa supervenit istiusmodi impedimentum perpetuum & inhabilitas ad Episcopale officium. V. g. amittat usum linguae vel oculorum. Quia jam plenè consecutus suam dignitatem; cum consecratio nihil conferat ad spirituale illius cum Ecclesia conjugium, ob cuius indissolubilitatem, etiam speciali ratione, nunquam ob infirmitatem incurabilem & decrepitum senium amittat, aut cogatur relinquere officium episcopale suum quod ad habitum, et si etiam invitato dari possit ac debat coadjutor. Pirkh. *b. t. n. 10.* cum Abb. & Jo And. Quamvis contrarium teneat Fagn. *in c. consultationibus. b. t. num. 7.* quem fecutus fuit in meo Vicario Episcop. *quest. 341.* dum ait; electo in Episcopum & confirmato, qui ante consecrationem officium linguae vel oculorum amisit, aut alijs effectus est inhabilis, huic non datur coadjutor; sed amovetur in totum, nec debet consecrari. vide Tusch. *lit. C. concl. 402. n. 2.* quem pro eodem citavi *l.c.*

De cætero quæ jus canonicum *hoc tit.* quæque *ibid.* aut alijs AA. tam veteres quam recentiores de coadjutoriis & coadjutoribus tractare & querere solent, quia speciali tractatu, qui in meo *Vicario Episc.* est secundus à *quest. 305. ad. quest. 445.* plenè complexus fui, malui illuc Lectorem remittere, quam eadem inde transcripta huc referre.

TITU-